

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 3167

**Auteur(s) :** Guillaume Ier, Ponthieu (comte)

**Bénéficiaire(s) :** Troarn, Saint-Martin (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1119, juin-1147, novembre]

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation par le comte Guillaume des biens de l'abbé et du couvent de Troarn à Cagny et des aumônes faites par Philippe de La Pommeraie et Guillaume, son fils.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Brunel Clovis Félix, *Recueil des actes des comtes de Ponthieu (1026-1279)*, Paris, Imprimerie Nationale (Collection de documents inédits sur l'histoire de France), 1930, n° XLI, p. 63-64.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir BRUNEL, p. 63, n. 3.

Texte établi d'après a

Notum sit presentibus et futuris quod ego Willelmus, comes Pontivi, pro salute anime mee, et pro animabus predecessorum meorum, concedo et confirmo abbati et monachis Troarnensibus in perpetuam elemosinam que apud Caigneimy habent ad feudum meum pertinencia, ex dono Helie de Caigneio, sive ex dono predecessorum vel hominum suorum. Concedo et[iam] ea que Philippus de Pomeria et Willelmus, filius ejus, predictis monachis in elemosinam dederunt, scilicet quitanciam XX solidorum andegavensium quos monachi singulis annis eis reddebant pro servicio feudi cujusdam vavassoris, quem feudum ipsi Philippus et Willelmus et successores eorum deinceps de suo proprio aquitabant. Concedo etiam terras quas dederunt, scilicet VII acras que sunt juxta monasteria de Caigneio a parte occidentis, et alias X acras terre quas predictus Helias monachis in vadimonio posuerat pro X libris rothomagensium, quas decem terre acras sub tali conditione dederunt quod, si quis super eas calumpnias fecerit, ipsi eas contra omnes calumpniantes garantizabunt, et si non prevaluerint, tantundem terre eque valentis monachis pro illis dabunt. Concedo etiam quod et illi concesserunt, scilicet omnes elemosinas de feudo suo quas de predecessorum vel hominum suorum dono monachi in prefata villa habent liberas esse et quietas ab omni servicio et omni exactione, et quod quilibet hominum suorum deinceps quantum voluerint abbacie Troarnensi de terra sua in elemosinam donent, non tamen totum feudum suum, sed quamlibet partem ejus, salvo jure dominorum suorum. Sciri etiam oportet quod abbas et monachi Troarnenses propter hanc donationem et concessionem dederunt Philippo et Willelmo LX libras andegavensium et XX dimiserunt quas eis debebant, ipsi vero predicta omnia fideliter et inviolabiliter se observaturos super IIIor Evangeliorum librum voluntarie juraverunt, et quod nec per se nec per alios monachis super hoc nocebunt, et si quis eis nocere voluerit, toto posse suo eos juvabunt. Juraverunt etiam cum ipsis plures de hominibus suis quod, si ipsi domini sui hanc donationis conventionem violare vel aliquo modo pervertendo mutuare voluerint, toto posse suo monachos juvabunt, et in quanlibet curiam, coram quibuslibet

personis cum eis ibunt, et rei veritatem sicut testes et plegii fatebuntur. Juratorum nomina hec sunt : Durandus presbiter, Rad. presbiter, Helias de Amundevilla, Gundinus de Maisnillo, Gislebertus de Maisnil, magister Ric., Rog., Dur. Saffre Lignage, Rob. Tareius. Ut autem omnia predicta rata sint et firma, presenti carta et sigilli mei auctoritate confirmo. Testes : Robertus Sans[on], Robertus de Warena, Radulfus de Doito, Gaufridus de Doito, Pagano de Mansodavid, Gervasio de Mansodavid.